

minis indagasse sibi visus est, statuens, Rauberos à latrociniis quibus Dominis suis operam locabant, nomen adeptos esse, notatus propterea à Doctissimo Spenero *Part. Special. Oper. Herald. Lib. 3. cap. 31.* non simile judicante, nomen adscitum fuisse quod dedecori esset. Archivum Statuum Austriae memoriam Matthiae Rauberi celebrat, cujus in diplomate fit mentio Anno 1378. exarato. (a) Ejusdem quoque memoria occurrit in alia membrana de Anno 1394. (b) Burckhardus de Winden apud eundem Matthiam Rauberum pro alio intercessit Anno 1397. (c) Hermannus Rauber uxori suae pro illata dote in bonis suis pignus constituit attestante Casparo Raubero Anno 1486. (d) Idem Hermannus cum Pancratio Auerspergio permutationis contractum celebravit Anno 1487. (e) Leonhardus Rauber, Baro de Planckenstein plurima in Austria bona à Marco Treys comparavit Anno 1519. (f) Wilhelmus Schurff Eques, Castellanus in Ambros eidem Leonhardo Baroni Raubero An: 1519. alia bona vendidit. (g) Georgius & Gregorius Barones Rauberi Fratres, Leonhardi communis Fratris fato functi bona dividerunt Anno 1521. (h) Georgii Rauberi cum Wilhelmo à Greissen Nobilissimo Equite, cujus posteritas Superiori seculo morte Rudolphi L. B. de Greissen exaruit, agitatae controversias sententia Austriae Regiminis terminavit Anno 1531. (i) Hic Georgius Rauber Anno 1532. teste alio Archivi Publici documento ad plures abiit. (k) Nicolaum Rauberum monumenta publica celebrant Anno 1533. (l) Gregorius Rauber thori sociam Evam Hageriam sibi fecit Anno 1534. (m) Christophorus, Alexander & Eberhardus Rauberi Carni à Georgio & Gregorio Rauberis Agnatis Austriae Lineae trecentas libras denariorum mutuas acceperunt Anno 1539. (n)

(a) *Archiv. Statuum Austriae num. 984.* (b) *Ibi num. 1387.* (c) *Ibi num. 1418.* (d) *Ibi num. 3258.* (e) *Ibi num. 3266.* (f) *Ibi num. 3597.* (g) *Ibi num. 3600. & 3614.* (h) *Ibi num. 3612.* (i) *Ibi num. 3677.* (k) *Ibi num. 3677.* (l) *Ibi num. 3685.* (m) *Ibi num. 3696.* (n) *Ibi num. 3722. & 3723.*

CAPUT XLVIII.

BARONES DE NEYDECK.

EX Illustribus Baronibus de Neydeck nonnulli ante quadringentos annos in Carniola habitaverunt, à quibus insigne dominium Neydeck in inferiore Carniola situm nomen adeptum est. Hoc castrum Mainhardus & Hermannus de Neydeck An:

1250.